

$\pi i$   
820



FA  
40



DE  
NIMIO PHILOSOPHANDI STUDIO  
IN ORATIONIBVS SACRIS

DISSERIT

---

ET  
AMPLISSIMVM SENATVM  
AD  
EXAMEN VERNVM  
IN PRIMA CLASSE GYMNASII

d. XIII. APRIL. c18ccLIII  
INSTITVENDVM

OBSERVANTISSIME INVITAT  
FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS  
RECTOR

---

GORLICII,  
EXCVDEBAT IO. FRIDER. FICKELSCHEPERVS.





**Q**uae de concionibus philosophicis nuper, nonnulla quam ad disputandum proponerem, dixi, de iis, ut fit, alius aliud tulit iudicium (a). Fuere, qui, me odio, si non aperto, occulto certe compressoque in philosophos, et in ipsam adeo philosophiam, ferri, existimarunt. Nonnulli, quicquid dixerim, per ludum et iocum potius, quam serio, abs me dictum fuisse, opinati sunt. Alii, id quod magis miror, assentatiuncula quadam, qua, ualde dubito, an turpior leuitatis nota esse possit, Theologorum, nescio quorum, me aucupatum gratiam, confidentius affirmarunt. Qui quidem omnes aut me non satis norunt, aut, quid per conciones philosophicas intelligi uelim, prorsus nesciunt.

Philosophiam, tantum abest, ut reiiciam, ut potius scriptis, foras datis, luculentissime demonstrarim, me, inde a multis annis, si multum non potui, at uoluisse certe, quantulumcunque potui, ad illustrandam ornandamque eam conferre. Neque eius usum, cancellis, quos recta constituit ratio, circumscriptum, uel ex Theologia, uel ex orationibus sacris uolo exterminari.

At horum, qui, philosophandi, ne dicam, ineptiendi licentia efferati, alieno, et loco, et tempore, impeditas spinosaeque quaestiones proferunt, et phantasiam potius, inepte sedulam, quam rationem reetricem patiuntur, horum, inquam, deliramenta, quotusquisque est recte sentientium, qui uel ferre possit uel probare?

Maxime uero prudentioribus risum bilemque mouent ii, qui, res diuinas populo publice interpretaturi, ita orationes suas instrunt, ut Metaphysicam potius, physicam, aut Logicam docere, quam uiam aeternae salutis adipiscendae demonstrare uelle uideantur. Quid ergo hi? Varios uarie peccare hic, uideas,

Alii,

(a) Thesis erat: Nihil ineptius est, quam conciones philosophicae, nostra aetate passim usu receptae.

Alii, occasione de rebus diuinis ad populum dicendi oblata, facri, quem sibi explicandum sumere, scriptoris uerba praelegunt quidem, at, quod ad ea explananda pertineat, nihil ex Theologia, nihil ex uberrimo sanctiorum litterarum penu adferunt. Quin potius, omni cogitandi dicendique facultate ad subtiliores philosophorum quaestiones expediendas conuersa, ea seligunt argumenta, quae philosophum cathedrarium, liceat SENECAE uti uerbo, aut mathematicum potius deceant, quam Theologum, diuinius doctrinae pastu auditorum animos expleturum. Ita audias, permultos, eos maxime, qui nuper ex philosophorum scholis prodierint, subtilius copioseque ex suggestu ad rudiorem populum identidem uerba facere uel de pluribus mundis possibilibus, uel de incolis planetarum, uel de quaestione perdificili, num anima agat in corpus? uel de monadibus, uel de mundo optimo, uel de aliis doctrinis, dignis illis quidem, quae philosophorum disputationibus uberius excutiantur, at ex cathedra sacra prorsus proscribendis.

Alii, prudentissimo argumentorum delectu habito, non, nisi ex sacris litteris, doctrinarum proponendarum ubertatem petunt et copiam. At iidem in eo peccant, quod grauissima religionis nostrae capita eo dicendi genere tradant, quod philosophorum proprium est, quodque, nisi ab iis, qui meditando abstrahendique arte subactum habeant ingenium, intelligi non potest. Hos quam utilitatem putas adferre posse populo rudi, et sublimitatis, quam uisitatus loquendi mos non recipit, prorsus infucto? (b)

Quid de iis dicam, qui ad methodi mathematicae leges omnia, quae pro concione populi proponunt, ita exigi uolunt, ut obscuri esse, quam ab iis uel latum unguem recedere, malint? Hi igitur, definitionibus, alienissimo tempore accumulatis, per saepe clarissimis rebus obducunt tenebras, et ipsi diei quasi lucem uidentur erepturi. Quod fit uel maxime tum, cum definitiones subtilius concinnantur, cum ex definitionibus, membratim discerptis, nouae positiones deducuntur, et ope demonstrationum, artificiosius contextarum, ex aliis alia enunciata ita nectuntur, ut eorum seriem continuationemque, longius ductam, uix acutissimus philosophus possit perspicere.

At oratorem sacrum, inquis, decet perspicue, solide, et eo denique, quem natura commendat, ordine sanctissimae religionis oracula proponere. Decet, at ita, ut nihil habeat oratio affectati, eaque definiendi, si opus fuerit, demonstrandique ratio ineatur, quae ab ingenua simplicitate minus recedat, quae scripturae sacrae sit consentanea, captique et rationibus audientium subseruiat.

Neque

(b) Me audire memini philosophiae magistrum ex suggestu de timore Dei haec pronunciantem. Weil das selbständige Wesen, welches den Grund seiner Wirklichkeit in sich selbst hat, alle mögliche Welten in der allergrößten Deutlichkeit und auf einmal sich vorstellt, so sollen wir dessen Gegenwart fürchten. Vera dixit, sed uera, pro rationeloci, inepte dixit.

FK Th 820

Neque enim eas orationes sacras laudauerit facile quispiam, in quibus nec definiendo enodantur obscura, neque idoneis communiuntur rationibus incerta. Verba, quibus nulla subiecta est sententia, et *πολυλογία*, quae, neglecto aut peruerso recte cogitandi dicendique ordine, confundit potius audientium animos, quam instruit et conuincit, cum ex omni congressione familiari, tum ex orationibus sacris proscribi uolumus. Hanc nemo rectius fugiet, quam qui accurata definitione eas notiones, quae explicandae sunt, illustrauerit, sed ita, ut caueat, ne nimia in definiendo demonstrandoue *ἀκρίβεια* salebras obiiciat et scopulos, quibus ueritas impediri queat, quo minus in auditorum aures animosque influat.

Sed plura alias. Indicenda nunc est sollempnis Gymnasii nostri lustratio, auspiciis iussuque SENATVS AMPLISSIMI, futuro die Veneris, in prima Classe instituenta. Gaudemus mirifice, quotquot in Gymnasio docentium munia obimus, nobis, hoc uel maxime tempore, occasionem suppeditari, Patronis pietatem fidemque testificandi, eorumque iudicio nostras operas subiiciendi. In quo quemadmodum plurimum inest, quod ad leuandas laborum, quos sustinemus, molestias pertineat, ita dici non potest, quantum ex perhonorifica Patronorum praesentia, et sollempni hac lustratione emolumenti in iuuentutem, cultioribus deditam litteris, redundet. Torpentium animi exuscitantur, et impetus ad studia, fractus nonnunquam et remissior, ex integro recalescit. Quod idem, dubium non est, quin consecuturi *seno examine*, propedem instituendo.

I. Repetam ea examinando, quae, per annum hunc, uel in Theologia, uel in philosophia, uel in stilo, uel in linguis denique, quibus sanctiora oracula consignantur, proposui.

II. Historiam et Mathesin, graecamquae linguam adhuc docuit Praenobiliss. Gymnasii Prorektor, TAVBNERVS, qui eam examinandi inibit rationem, ut, quas discentes uel in historia uel in mathesi fecerint progressiones, exquirat.

III. Antiquitates Romanas publice explicauit, inde ab aliquot mensibus, Clarissimus Conrektor, GEISLERVS, interrogando, quantum per temporis angustiam licuerit, exploraturus, quousque in scientia rituum antiquorum progressi sint doctrinae disciplinaeque nostrae alumni.

Rogo PATRONOS Gymnasii, quam possum obseruantissime, ut praesentia sua, nobis exoptatissima, et docentium et discientium animos ad rem recte gerendam uelint exsuscitare.

P.P. Gorlicl, clō 16ccLIII, d.x April.



n  
-  
-  
-  
-  
-  
n  
-  
e  
t,  
  
ri  
e  
of  
e  
-  
o  
s  
x  
e  
t.  
-  
n  
o.  
in  
e,  
  
o-  
m  
el  
  
ot  
o,  
ie  
e-  
  
e,  
m

Pon III: 820  
17K

ULB Halle 3  
004 784 839



f

MO





DE  
NIMIO PHILOSOPHANDI STUDIO  
IN ORATIONIBVS SACRIS  
DISSERIT

ET  
AMPLISSIMVM SENATVM

AD  
ENVERNVM

A CLASSE GYMNASII

III. APRIL. MDCCCLIII

INSTITVENDVM

VANTISSIME INVITAT

CHRISTIANVS BAVMEISTERVS

RECTOR

GORLICII,

IO. FRIDER. FICKELSCHERERV.

